

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 64.

---

#### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 15 Sept 1809. (Neov. 29. Aug. 1809.)

---

Todos los duelos.  
Con pan son bounos.  
Sunt bona cum pane quaequaeu mala.  
D. Quixot.

---

*Confabulantes Umbræ.*  
*Sanctius Pancha. Koller.*

**Koller.** Proh! *pabulum* conspicio *animæ!*  
pasco animam meam hodie! quid non? vi-  
deo coram vigilantissimum Agazonem fortis-  
simi herois & equitis, quem unquam Hesper-  
iæ tellus edidit.

*Sanctius.* (gravitatem induit hispanicam)  
Ille ego sum, *Sanctius Pancha* vocor!

*Koller.* O Sancti quantum a te in mun-  
do superiore didici!

*Sanctius.* A me? scire cupio.

*Koller.* Praeclaram illam exemplarem  
sententiam: *Cum pane omnia mala bona esse.*

*Sanctius.* Praeclara hæc erat sententia,  
quam asino meo in seruminis decantaveram;  
probum id pecus! Dominus meus strenuus  
eques, omnium Equitum hispanicorum for-  
tissimus, in sua expeditione heroica Guberna-  
torem me insulæ *Baratariae* creavit. Domi-

natus hic & felicitas brevi duravit tempore. In receptu ex hac Præfectura in profundam fossam cadendi infortunium habui, nox erat tenebrosa, quo me vertam, quo me recipiam, ignoravi; dum illuxisset, fidum comitem meum Asinum, jacentem humi, auribus promissis, & moesto, lugubrique habitu video. Multis post querimoniis, quas ad eum solum vertere potui, tandem ex panario meo extraho frustum panis, propino fido sodali, & solaturus eum ajo: *Sunt bona cum pane quæquæ mala* — id est quæcunque calamitates, modo adsit panis, tolerabiles evadunt.

*Koller.* Sublimem & praeclaram veritatem!

*Sanctius.* An grandis veritas sit, rogas! asinus, & Philosophus in argumento famis eadem necessitate laborant; venter eorum parvis conditionis est, eidem naturæ subjecta mola, continuo ei superfundendum est. Est maximus omnium animalium hostis.

*Koller.* Hoc equidem expertus sum. —

*Sanct.* Ut hoc?

*Koller.* Morbo philosophicæ contradicentiæ, patria excedendum mihi fuit. Jam consilium hoc arduum erat. Eisdem in adjunctis versabar, quibus tu cum fata ex magnifica Insulæ Baratarie Præfectura in fossam te præcipitarent. Carebam sodale, pane in canisterio, nec dicere, ut tibi, licuit: *Omnia mala panis emendat.* —

*Sanct.* Ut, quæso, ex his sinistris adjunctis te extricabas?

*Koller.* Habebas, Care Sancti! fidelem socium *asinum* tuum, ego opem reperi, quid putas, in quo?

*Sanct.* Procul dubio in strenuo quodam equite?

*Koller.* Minime gentium! verum in *Parnasso*; transvestivi *Herculem*, tum opera tua legi, tuamque excellentem sententiam: *Omnia mala panis bona reddit.* —

*Sanct.* Sed non concipio: ut adeo vulgare dictum tantopere prædicari possit?

*Koller.* Oh! vere multa ei inest veritas; quippe: quivis in orbe homo plus minus fortunatus, plus minus obnoxius, plus minus servitio adstrictus est, ipsis opulentissimis, splendidissimis, omnibus honoribus cumulatis-  
simis non exceptis; at patiente hæc mala feruntur animo, dummodo *panis*, id est: sufficiens sustentatio, & reditus pro ratione conditionis adsint. —

*Sanct.* Hæc nequaquam erat opinio strenui mei equitis *Don Quixotte*; dicere ille solebat: panem tunc optime sapere; cum non alii quam Coelo debetur.

*Koller.* Hoc de communi doctrinæ moralis sensu verum esse potest — at genus, & societas humana ita permixta est, ut in sensu pratico nullæ amplius assatæ columbæ ad os volent. Ratio in aperto est: quod assatæ plumis destituantur, at vox tua ad tristem asinum, dum panem ei propinares, tantam experientiam complectitur, ut tota vita mea mentis meæ inhæserit. *Omnia mala pane condita convalescunt!* —

*Sanct.* (diffunditur in Cachinum).

*Koller.* Quid tollis Cachinum?

*Sanct.* Cachinnor; quod *asinus* meus doctrinæ moralis dandæ capax sit.

*Koller.* An non elegantia præcepta ex Aesopi fabellis hausimus? & hodie dum Anglicanæ paginæ in ratione suorum ministrorum exemplares Politicæ doctrinas suppeditant. —

Mhi articulum ex Londinensi *Animadversore* de 16. Aug. prælegere placet, ad hunc modum loquitur:

„*Ministri*, potentiam Bonapartinam diruere volebant: vos Domini *Ministri*! vos inquam, ad hunc finem nec hominibus, neque æri pepercistis: 9 milliones Libr. Sterling. pro bello defensivo, unius anni; exercitum in Siciliam, alium in Hispaniam, alium in Hollandiam, qui plus quam 20 milliones, & Centum hominum millia, remigibus, navibus, & linealibus copiis computatis, constat; hæ vestræ sumtuosæ intensiones, & conatus sunt: quid ex eis emolumenti habere cepimus? pronum est responsum præsentia præteritis combinare volenti. — Abruptio Tractatus Ambiacensis Austriacos Austerlitzium deduxit. Reditus Lordii Lauderdale, qui tantum jubulum dispersit, diem ad *Jenam* protulit, quo Borussia uno ictu occidit, quid porro?

Ab Jeneasibus Tractationibus removentes nos exercitum in Hispania amisimus; denique Domum Austriacam denuo ad Campum

Martium deduximus, quæ rursus ad eum  
moestum statum adducta est, ut pacem pe-  
tat. Ministri Suae Majestatis vere angelico  
corde præditi sunt; majore fortassis patriæ  
amore, quam perspicacia mentis pollent; co-  
nabantur ii Galliam ad summum culmen glo-  
riæ perducere, ut: si hunc habuerunt scopum,  
ea sane media adhibuerunt, quibus reapse  
Gallia ad id fastigium pertigit.

*Bruna die 11. Aug.* Ante aliquot dies  
isthic in vallis ad Spieibergam Gallicus miles  
glande plumbea trajectus est, homicidii, &  
vis i latæ accusatus, & convictus.

Mareschallus Dux Auertsadiensis sequens  
Edictum ad Cas. Regium Governatorem Brun-  
nam expedivit: „Domine Governator! Non  
sine admiratione in Appendice ad Nro 58 hu-  
jatum Ephemeridum revocationem absentium,  
& militiæ idoneorum subditorum Domini Jam-  
nitz legi. Si hæc promulgatio bono cum pro-  
posito facta fuisset, auctores ejus profecto de-  
lecti in Gallicum exercitum reos semet fecis-  
sent; Equidem pro hac vice rem nolo per-  
sequi, & indulgens esse; ad notiones nihi-  
lominus in hoc argumento definiendas, & qui-  
buslibet excusationibus in similibus casibus  
occurrendum, D. V. omnesque Magistratus  
Civiles, & Incolas provinciarum a Gallicis  
copiis occupatarum certiores reddo: quemli-  
bet, qui exercitui Austriaco, militem, victua-  
lia, com meatum, aut arma suppeditaverit,  
aut arma, promptuaria, com meatum, victualia  
ad eum pertinentia celaverit, neque Gallicis

Jurisdictionibus indicaverit, quosvis præterea magistratus & Cives, qui ab Austriaco Gubernio edita Jussa publice promulgare audent, tamquam prodiores Exercitus Gallici considerandos, & qua tales tractandos esse &c.

*Stuttgarda die 28 Aug. Ex Cæsareo Hæ-*  
*gio principis hospitio Fonte bello sequens*  
*diurnum Jussu emanavit, de 15. Aug. Sua*  
*Majestas Imp. ad testandam excellentem li-*  
*beralitatem suam decrevit: ut omnes cujus-*  
*vis armorum generis Gen. Duces, Officiales,*  
*militisque, qui praeliis ad Thann, Abensperg,*  
*Eckmühl, Ratisbonam, Eszlingam & Wagra-*  
*rum mutilati & hodiecum superstites sunt se-*  
*quenti ratione ad Classes dotationis, quam*  
*Sua Maj. in præmium præstitorum sibi ser-*  
*vitiorum condidit, adoptentur; videlicet: Lo-*  
*comtenentes, sub Locumtenentes, suboffi-*  
*ciales, & gregarii veniunt ad 6 Classem, cum*  
*500 Francis annuorum reddituum! Centurio-*  
*num aut Centuriarum Præfecti, ad 5. Classem*  
*cum 2000 Francorum redditibus; Generalium*  
*Duces, Colonelli & Supr. Excubiarum Præ-*  
*fecti in 4 Classem cum 4000 Franc. redditibus.*  
*Proles a Sua Majestate Decreto de 16. Fri-*  
*marii A. 14. adoptatæ sequ. provisionem ac-*  
*ceperunt: illæ, quarum defuncti parentes mi-*  
*litiam secuti, referuntur ad 6 Classem, qua-*  
*rum Officialium dignitate gavi, ad 5. Clas-*  
*sem. Cum Sua Maj. familias Gen. Ducum,*  
*Officialium, militumque, quæ hoc bello in*  
*proelio occubuere, favore prosequi velit;*  
*idcirco suo Officio Sigilli (du sceau des trires)*

potestatem impertivit, proponendi: ut ex iis, qui masculis liberis orbi sunt, tituli & donationes, quæ iis viventibus concessæ, ad primogenitum senioris filiæ transferri possint; quod si filia careret, eæ ad primogenitum ex fratre actu vivente nepotem derivantur. Domini Præsides Generalis Stabi maturabunt Elenchos texendos curare, quibus nomina, prænomena, ætas, dignitas, locusque natalis memoratarum militarium personarum adnotatus habetur, hi Elenchi ab Inspectoribus Circularibus revidendi. Princeps Neo Comensis. Pro Connetabilis. Gen. Dux *Alexander*, *Mathias Dumas* agnominis Gen. & Præses Gen. Stabi."

Novissimæ Univ. Ephemerides *Clattovia* Bohemiæ de 14. hujus hæc memorant: Limites versus Bavariam jam plene copiis linealibus, & provinciali militia derelicti, omnisque militia versus Pragam se recepit. Jam vero velocissime nova provincialis militia erigenda & ei omnis masculus a 16—60 ætatis annum adscribendus perhibetur. Jussu eatenus jam ante aliquot soles ad hujus provinciale Collegium pertigit. Communem animadversionem excitat translocatio Bohemici Gubernii Praga Pilsenam, causa adfertur: confluxus hominum Pragam, & ibi vigens inquietudo &c.

*Parisiis* 25. Aug. Seni ab Imperatore Duces creati ministri sunt: Excell. Magnus Judex, rei bellicæ minister, rei ærariæ, ex-

ternorum negotiorum, Gen. Politicæ minister & Minister Secret. Status — Mares. *Oudinot*, & *Macdonald* quoque Duces; Dux vero *Auerstad*: Princeps *Eckmühlæ*, Dux *Rivoli* Princeps *Ezlingæ*, Princeps vero Neo-Comensis, Princeps *Wagrami* creatus est.

### B I O G R A P H I A.

*Koller* (Maria) exactus Bavaria Illuminatus, poëta erat, & felici successu *Blumauerum* imitatus est; qui eum etiam adjuvit. *Edidit transvestitum Herculem in 6 tomis. Vindobonæ 1786.* — Minora ejus poemata sparsim reperiuntur in *Vindob. Musarum Calendario*; postremum erat *Auditor* (Judex militaris) *Lincii* in Austria superiore, ubi eodem, quo *Blumauer*, tempore 1798 supremum diem obiit.

*Sanctius* (Sancho) *Pancho*, notum nomen in Romanensi fabula *Don Quixotte*. Erat proprius rusticanus juvenis ab Equite hispano comes imaginariarum suarum expeditionum, hoc est: *Agazo*, assumtus. Ejus historia in hac fabula amoena lectu est; & sermo ejus rusticus notabiliter opponitur pathetico loquendi generi Equitis *Don Quixotte*. *Sanctius* erat id, quod apud nostros Germanicos Equites nonnulli *Stapularii* sunt.